

20.444

UNIVERSITATIS THESES

RICHARDUS RODRIGUEZ DE TARRATALLA

D. JOSEPHUS RODRIGO DE TARRATALLA

*Atlas 4<sup>o</sup>*

D. D. LANUARIUS VALEBO

Disertatione olim, Collegis nunc  
plenarius Professor

Locum Certamen eiusdem Disertationis  
in Palatio

anno 1714 mensis Martii  
indictione

IN VENETIIS

apud Antonium Castoreo, Viduae Philippi  
Lodovici, cum Typographo via Lanturata.



Foll. 20.444

IURIS CIVILIS THESES

QUAS

PUBLICAE CONTROVERSIAE VINDICANDAS

VOVET

D. IOSEPHUS RODRIGO ET CARRATALLA

ORCELITANAE UNIVERSITATIS ALUMNUS;

*CUI PRAESES ADERIT*

D. D. IANUARIUS VALERO

Digestorum olim, Codicis nunc Proprietarius Professor.

*Locus Certaminis eiusdem Universitatis Palaestra.*

DIE 13 MENSIS MAII ANNI  
MDCCXCI,

MURCIAE:

---

In Calcog. D. Antoniae Ramirez, Viduae Philippi  
Teruel, olim Typographi: via Lintearia.



ALHORA SE CANTARON

GLORIAS

DE LA REAL Y HONRIFICA UNIVERSIDAD

DE BURGOS

DE BURGOS

DE BURGOS

DE BURGOS

DE BURGOS

DE BURGOS

DE BURGOS

DE BURGOS

DE BURGOS

DE BURGOS

DE BURGOS

AL MUY ILUSTRE


CLAUSTRO

DE LA REAL Y PONTIFICIA UNIVERSIDAD

DE ORIHUELA.

*Si el fruto del terreno pertenece al Dueño de la propiedad, el que damos á luz á ninguno corresponde con mas derecho que á V. S. quando contamos por gran fortuna nuestra el hallarnos en su propio suelo, haber crecido á su sombra, y haber bebido á sus pechos la leche de una doctrina provechosa, saludable, y sin mezcla de aquellos errores, que rompiendo los diques de la Religion, y verdadera obe-*

obediencia, han derramado estragos por todas partes, no solo dolorosos á la Iglesia, mas funestos tambien y lamentables hasta las mismas Republicas. Esta felicidad debida al cuidado de V. S. empeña en nosotros todo el agradecimiento y amor que corresponde á tan buena Madre, cuya fecundidad se ha dado por lo mismo á conocer en tantos Ilustres Varones como de aqui salieron para dar esplendor con su zelo á las Iglesias, con su rectitud á los Tribunales, y con su doctrina á los otros cuerpos literarios. Pero esta misma gloria que habiendo tenido el origen de V. S. se ha difundido por todas partes, buelve otra vez á V. S. como á su centro, y se deriva tambien en nosotros que descansamos á su sombra: Por tanto esperamos, que al paso que hemos experimentado su favor en la escuela, nos dispensará su proteccion en la palestra.



.I.

CUM ius civile à iure gentium distingua-  
tur ; quod omnes populi , qui legibus et  
moribus reguntur , partim suo proprio , partim  
communi hominum iure utantur ; nobis in ani-  
mo est , ius civile definire : *Quod quisque po-  
pulus sibi constituit.* Cuius in varias partes di-  
visiones , et subdivisiones , sciscitanti ultro dabi-  
mus in agone.

.II.

Romanas leges , populus Romanus , penes  
quem ius suffragii erat , Senatorio Magistratu  
interrogante ( veluti Consule ) sanciebat. Hinc  
illud Ulpiani de Legibus: est lex : *communis Rei-  
publicae sponsio.* Verum et si postquam lata es-  
set scribi soleret , scripto promulgari , aut in  
Tabulis incisa publicè , ut cognosceretur , pro-  
poni ; ad eius nihilominus substantiam , scriptu-  
A ram

\* II \*

ram non pertinere , non censemur immerito.

.III.

Diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur : en consuetudo in statu populari : cuius vis tanta , ut leges civiles derogare , et prorsus tolerare valeat , non in dubium vertimus.

.IV.

Servitus legalis sive iure belli iusti , sive iure nativitatis , sive ratione iustae condemnationis , sive titulo venditionis , et emptionis licita est , nec opponitur iuri naturae.

.V.

Romani in solatium orbitatis filios sibi adsciscere solebant : quam sane facultatem nullis aliis impertitam agnoscimus , quam sexagenariis.

.VI.

Licet autem , et in locum nepotis , vel nepotis , pronepotis , vel deinceps adoptare , quamvis filium quis non habeat : sed si nepotis loco , ex filio , adoptet , is consentire debet.

Tu-



.VII.

Tutor autem statim in ipso negotio praesens debet auctor fieri, si hoc pupillo prodesse existimaverit: post tempus vero, vel per epistolam, aut per nuntium interposita auctoritas, nihil agit.

.VIII.

Divisio rerum, et proprietatum, quoad potestatem procurandi, ac dispensandi, non modò conveniens est, sed in Rep. bene ordinata, plane necessaria.

.IX.

Rerum communium usum, universis gentibus confitemur competere, barbarumque semper habitum quemquam mortalium eo usu prohibere.

.X.

Venatio, atque piscatio, iure Hispano, omnibus promiscue permessa: ut Principi tamen liceat limitibus circumscribere eas, quaedam vetando instrumenta, vel alio quocumque modo, nec ius naturae respuit: tit. 8. lib. 7. Recopil. Prag.

\* IV \*

Pragmat. lata die 13 Martii anni 1769.

.XI.

Oppido sunt inter se digladiati dissidentes ICTorum. asseclae Proculeiani, et Sabiniani acceptam á maioribus de specificatione doctrinam tuentes. Nerva, et Proculus artificii; Sabinus, et Cassius è converso domino materiae conflatae speciem adscribebant. Non nostrum inter hos tantas componere lites: sed Iustiniano qui rem tantam, tam luculenter transegit, pollice utroque subscribimus. Mediam eius inter hos sententiam, si materia ad pristinum posset statum reverti, materiae domino, si ad primaezum reduci statum nequiquam valeat, fabro artefactum adiudicantem, ulnis ambabus amplexamur.

.XII.

Tignum iungens bona fide, actione *de tigno iuncto*, duplum praestare tenetur: qui mala fide, quantum domino interest, summa iurando in litem firmata.

.XIII.

Crebris difficultatum dumis obnoxia quaestio,

tio , erga acquisitionem fructuum ex re aliena , bona fide possessa , perceptorum : nos bonae fidei , tituloque iusto firmatae possessorem , omnium , etiam naturalium fructuum , dominum autumamus.

.XIV.

Nihil tam naturali aequitati conveniens , quàm voluntatem domini rem suam in alium transferre volentis ratam haberi : at si utrimque causa translationis idonea subesse existimetur , circa utramque dissensio dominii translationem haud impedit.

.XV.

Usumfructum ius alienis rebus utendi fruendi salva rerum substantia , definiendum arbitramur : eius de sarta tecta re cautionem à testatore remittendam , inficias imus : ab herede remitti posse , est qui ambigat nullus.

.XVI.

Inconsideratam imbibit Tribonianus sententiam , dum veri ususfructus naturam vestibus denegavit.

Ius

\* VI \*

.XVII.

Ius altius tollendi revera inter servitutes numerari recte , ex iure prisco , et exemplis ostendemus.

.XVIII.

Omnis praescriptio legitime facta tanti est valitura momenti , ut praescribenti liceat rem , ut suam retinere , postquam alienam fuisse deprehendit.

.XIX.

Codicis constitutio donationis revocationem patronis , ob supervenientiam liberorum , indulgens , iure stricto , ad parentes porrigi non valet.

.XX.

Quod de marito refert Ulpianus , et innumeris locis perspicuè traditur , eum nempe verum esse fundi dotalis dominum , matrimonio constante , haud carere veritate affirmamus.

.XXI.

Nec inde tamen inferre licet , rei dotalis alienationem ei esse concessam ; fuit ergo illi  
ta-

\* VII \*

talis facultas, per Legem Iuliam ab Imperatore Augusto promulgatam, denegata.

.XXII.

In varias distrahuntur auctores sententias de validitate testamenti iuxta alicuius loci consuetudinem facti, extra illum locum: nobis probabilior videtur sententia, asserentium valere.

.XXIII.

Testes adhiberi possunt in testamento ii cum quibus testamenti factio est: sed neque mulier, neque impubes, neque servus, neque furiosus, neque mutus, neque surdus, neque is cui bonis interdictum est, neque ii quos leges iubent improbos intestabilesque esse, possunt in numerum testium adhiberi.

.XXIV.

In testibus autem non debet esse is, qui in potestate testatoris est: sed si filiusfamilias de castrensi peculio, post missionem faciat testamentum, nec pater eius recte adhibetur testis, nec is, qui in potestate eiusdem patris est; reprobatur enim in ea re domesticum testimonium.

Di-

.XXV.

Diligens in ordinandis testamentis solemnitas observatio , principalibus constitutionibus , militibus est remissa : liquet inter nos.

.XXVI.

Non tamen omnibus licet testamentum facere. Statim enim ii , qui alieno iuri sunt subiecti, testamenti faciendi ius non habent.

.XXVII.

Ex quo imperiali beneficio bonorum adventitiorum proprietates filiarum , iure pleno acquiratur ; non licet inferre testamenti factionem eis quoque concessam.

.XXVIII.

Testamentum à furioso conditum , dum compos est mentis , per furorem supervenientem, non fit irritum.

.XXIX.

Postumi liberi , vel heredes institui debent, vel exheredari : quolibet ex iis foemini sexus, sive masculini praeterito , valet quidem testamentum ; sed postea agnatione rumpitur , et ea ratione totum infirmatur.

Si

.XXX.

Si quis ex semisse heredem scripserit , totus as in semisse erit ; ius enim nostrum non patitur eundem in paganis testato , et intestato decessisse.

.XXXI.

Si filiusfam. heres institutus sit , eique si heres non esset substitutus datus ; filio repudiante , non pater , sed substitutus admittendus.

.XXXII.

De substitutione pupillari alta est inter interpretes quaestio , an substitutus matrem à legitima excludat necne : in affirmativam iuramus.

.XXXIII.

Testamentum , maxima , et media capitis testatoris diminutione , irritum factum , absque nova voluntatis contextatione , eo restituto , convalescit ; secus si testator adrogandum se dederit , et postea sui factus iuris decesserit.

.XXXIV.

Testamentum conditum rite , nuda contra-

B

ria

\* X \*

ria voluntate , quantumvis coram septem testibus declarata , non infirmatur.

.XXXV.

Iustas exheredationis causas ad quatuordecim complexus est Iustin. in Nov. 115. cap. 3: ob alias , dummodo aequae graves , aut graviores , exheredationem confici recte , non moramur amplecti.

.XXXVI.

Nec ipso iure testamentum corrumpitur , quoniam exhereditatio sine elogio facta : ad id enim rescindendum opus esse querela , constitutioni Iustiniani quamoptime est consentaneum.

.XXXVII.

Duo dumtaxat esse distincta inter se adquirendae hereditatis genera , additionem , et pro herede geritionem ; tam nobis notum est ; quam quod notissimum.

.XXXVIII.

Diversis antiquis legatorum formulis , desideranti relatis , aliquid de illorum inter , et fideicommissa differentiis , adicere poterimus.

Non



.XXXIX.

Non solum autem testatoris, vel heredis res, sed etiam aliena legari potest, ita heres cogatur eam redimere, et praestare.

.XL.

Cum tamen haec iuris dispositio ex quadam voluntatis coniectura proficiscatur, si contrarium ex fortiori praesumptione, agentisque probationibus eliciatur, locum in iudicio sibi legatarius non vindicabit.

.XLI.

Ius quo collegatariorum eiusdem rei partes iis accrescunt, qui suam agnoverunt portionem, ius est accrescendi: quod si verbis etiam coniunctis dumtaxat, modo quo in iure vocantur, impertitum esse praedices palam, senties nobiscum.

.XLII.

Si rem legatarii quis ei legaverit, inutile est legatum, sed si uxori maritus dotem, valet legatum.

.XLIII.

Si quis ancillas cum suis natis legaverit, etiamsi ancillae mortuae fuerint, partus legato cedunt: sed si servus cum peculio fuerit legatus, mortuo servo, vel manumisso, vel alienato, peculii legatum extinguitur.

.XLIV.

Ingens est inter Iurisprudentiae principes dissidium super crementum, aut decrementum nummorum aestimationis post contractum in solutione faciendam, noster inclinatur animus calculum adicere si monetae bonitas interna mutata sit, tempus contractus, si valor impositus, tempus solutionis esse inspiciendum, asseverantibus.

.XLV.

Id autem quod in diem stipulamur, statim quidem debetur, sed peti prius, quam dies venerit, non potest.

.XLVI.

Ex conditionali stipulatione tantum spes est debitum iri, eamque ipsam in heredem transmittimus, si priusquam conditio extet, mors nobis

con-

\* XIII \*

contigerit ; secus vero in legatis.

.XLVII.

Pupillum cum aliis contrahendo absque tutoris auctoritate naturaliter obligationis nexu obligari, manifesta aequitas clamare videtur.

.XLVIII.

Si minor viginti quinque annis curatorem accipiat, consensum eius adhibere debet ; alioquin nulla iure civili, ex eorum contractu obligatio nascitur.

.XLIX.

Fideiussorem non posse obligari in duriorum causam, quam principalis ; bene tamen maiori vinculo, et efficacius, extra omnem dubitationis aleam iacet.

.L.

Si fideiussor maiorem summam quam quae debetur, suo sponte nutu, promisserit, in partem concurrentem teneri, cum Bachovio existimamus.

.LI.

Sicut stipulatio verbis, ita litteris constat altera obligatio efficax certè, nisi actio ex ea pro-

\* XIV \*

proveniens, *non numeratae pecuniae* exceptione, elidatur.

.LII.

Quae tamen intra biennium proponenda, ut eo transacto etiam probationis onus in se debitor suscipiens, non audiatur.

.LIII.

Simul ac emptio perfecta est, licet res nondum tradita omne commodum, et periculum rei, quod sine facto venditoris contingit, pertinet ad emptorem.

.LIV.

Conductor omnia secundum legem conductionis facere debet, et ab eo custodia talis desideratur qualem diligens paterfamilias suis rebus adhibet, quam si praestiterit, et rem fatò amisserit, restitutioni non tenebitur.

.LV.

Mortuo conductore intra tempora conductionis, heres eius eodem iure in conductione succedit.

.LVI.

Si Titius et Seius inter se pacti sint, ut ad  
Ti-

\* XV \*

Titium lucri partes duae societatis pertineant, damni tertia ; ad Seium duae partes damni, lucri tertia : clamitet quantum vellit Quintus Mucius, rata erit conventio.

LVII.

Manet autem societas eousque, donec in eodem consensu perseveraverint : at cum aliquis ei renuntiaverit societas solvitur.

LVIII.

Negotiorum gestor, quamvis depositario natura non absimilis, ad exactissimam diligentiam, ut commodatarius compelli, creditur.

LIX.

Indebitum per errorem etiam iuris solutum, si nulla subsit naturalis obligatio, repeti potest.

LX.

Nec aliud pro alio creditore reluctantante, nec debiti pars pro debito potest solvi ; ad iustam namque solutionem, ut quod debetur simul, et semel totum solvatur, requirimus.

LXI.

Veteribus penitus ignotas fuisse actiones mixtas, nemo qui sane sapiat inficias ibit : lo-  
cum

\* XVI \*

cum tamen in iure hispano obtinere l. 6. tit. 15. lib. 4. Recopil. nos docet.

.LXII.

Rerum incorporalium nomine duplicem actionem comparatam esse, confessoriam, et negatoriam, utramque in rem, una omnium vox est: hanc si actor in iudicium deducere conetur, reo incumbit probatio.

.LXIII.

Vero rei domino, si actione Publiciana, quàm rei vindicatione uti mallit, licebit.

.LXIV.

Actionem Paulianam, quae creditoribus ob alienationem in eorum factam fraudem, conceditur, in personam esse, multis argumentis evincitur.

.LXV.

Qui pro alieno debito se soluturum constituit, actione *constitutae pecuniae*, tenetur.

.LXVI.

Praeiudiciales actiones estò de iure personarum tractent, potius reales, quam personales esse videntur.

Ci-

\* XVII \*

.LXVII.

Citramontani Doctores bonae fidei contractum, cui dolus causam praebuit, ipso iure nullum esse affirmant: Ultramontani negant: sequimur illorum castra.

.LXVIII.

Soluto matrimonio uxori competit *de dote* actio ad repetitionem, si suo nomine eam intulerit.

LXIX.

Sed si de dote in iudicio mulier agat, placet eatenus maritum condemnari debere, quatenus eius facultates patiantur, ob beneficium, quod vocant privilegium, et exceptionem competentiae.

.LXX.

Quo plenius et certius mulieribus de dote consultum esset, Iustinianus constituit, ut adiectam omnium mariti bonorum hypothecam haberent, et creditoribus tacitam, etiam anteriorem, habentibus, praeferantur: á qua sane sententia nobis non licet transversum, ut aiunt, unguem discedere.

C

Quam-

\* XVIII \*

.LXXI.

Quamvis filiusfam. ex omnibus contractibus cum illo initis conveniri valeat, exceptionem tamen induxit S Ctum. Macedonianum, sub Imperatore Vespasiano in lucem, Suetonio auctore, editum, eis mutuas prohibens pecunias dari, qui in potestate parentis sunt, denegansque universam creditoribus efficacem actionem.

.LXXII.

Condictio furtiva, & actio rerum amotarum, contra heredes etiam dantur in solidum.

.LXXIII.

Actiones ex maleficiis penales heredibus dantur, at in heredes non competunt.

.LXXIV.

In bonae fidei iudiciis exceptionem peremptoriam initio litis contextari necessum non est; sed eam quandoque ante rem iudicatam opponere licet.

.LXXV.

Si debitor bonis suis cesserit, et cum eo creditor experiatur, per exceptionem *si bonis cesserit* de-



defenditur : quae sane exceptio fideiussoribus denegatur.

.LXXVI.

Iudex iuxta allegata et probata , contra privatam scientiam , reum iudicare tenetur ; ad id enim compellitur , publica qua fungitur, potestate.

Et en , benevole Lector , studii nostri fruges. Sin minus arriserint ( quoniam parvi censes momenti ) Pyrae consecra , nec credas nos propterea Iudificari. Monitum tamen te velimus , nos nunquam obliterare sequentia:

*Non Mus fundit Pavonem ; non Rana Leonem.*

Fatemur ingenuae , nec fatendo erubescimus.  
VALE.

*Vidit Dr. Redondo,*  
Rector.

*Vidit Dr. Orihuela,*  
Cen. Reg.

Imprimatur.  
*Montalvo.*





